



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Consolatio infirmorum. 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

6. *Non est omnium vacare.*

Confidera gratiam tibi desuper datam, & viuere secundum eam curato, quoniam non omnibus sic vacat solatiari cum Christo, quemadmodum oblatum est tibi aptum & sufficiens tempus præ cæteris. Tantum adsit spiritus Iesu, qui docet & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cui enim adest spiritus eius, non habes requirere præsentiam alicuius hominis, vt consolaberis. Quando autem abest, exspecta eum, quoniam veniet, & non tardabit.

Ioan. 1.

7. *Contemptus consolationum extranearum.*

Auere tamen oportet, vt de foris superflua solatia non petantur: sed vel interim silentio & luctui insistere, aut cum amico de negligentia & angustia sua conferre. Et ista hominis consolatio, satis utilis & necessaria tempore suo, quia non omnium est dicere cum Apostolo: Quia non ab homine, neque per hominem didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Qui humano solatio non eget, multum super hoc regratiari Deo potest.

Galat. 1.

8. *Consolatio infirmorum.*

ET qui adhuc carere non potest, quid nisi Deum in seruis suis humiliter audire debet: & non sicut ab homine, sed tanquam ab ore Dei prolatum sit, consolationis verbum suscipere? Qui etiam per scripturas nobis adhuc tanquam paruulis loquitur, habeamus tamen aliquid, vnde consolemur.

9. *Consolatio in scripturis diuinis.*

Est enim non parua consolatio, qui nullam exteriorem habet, quod delectatur in scripturis diuinis. Et cum legit Euangelium aut Prophetas, nonne videtur quodammodo colloquium celebrare cum Iesu & Apostolis eius, nec cum prophetis antiquis? Et cum cæteros libros doctorum audivissimè legit, quid nisi ex bona eorum societate, à se omne mentis fastidium repellit? An non sapissime, cum Augustinum vel Gregorium legis, tanquam præsentem eos intueris? Aut minori affectu eorum dicta complecteris, quia in carne non sunt; quam si viuerent, & ad te sua scripta direxissent?

10. *Spiritualis dilectio ad Sanctos.*

Posset fortè magis aliquid conferre tibi veneranda ipsorum præsentia: sed spiritualis homo hanc affectionem facillè supergreditur, cui in Deo omnes viuunt & præsentem sunt; qui &